NOUVELLE REVUE THÉOLOGIQUE

58 Nº 8 1931

De sterilitate physiologica

Fr. HÜRTH (s.j.)

p. 673 - 689

https://www.nrt.be/es/articulos/de-sterilitate-physiologica-3399

Tous droits réservés. © Nouvelle revue théologique 2026

De sterilitate physiologica

NOTE DE LA RÉDACTION. — *Au cours des années* 1929-1930, *les expériences des docteurs Knaus (Graz, Autriche) et Ogino (Niigata, Japon) sur les alternances de fécondité et d'infécondité physiologique dans le cycle menstruel féminin ont attiré l'attention du monde médical. Si elles se vérifient, elles auront nécessairement d'importantes conséquences dans le domaine de la théologie morale. Plusieurs revues théologiques ont déjà traité la question. Il nous a semblé utile, à nous aussi, d'informer nos lecteurs, en toute objectivité, de l'état actuel et du degré de certitude de ces recherches. On comprendra sans peine que nous ayons préféré publier cet exposé en latin. Il est dû à la plume compétente du Rév. Père F. Hürth, professeur de théologie morale au scolasticat de la Compagnie de Jésus à Valkenburg (Limbourg Hollandais).*

S. Poenitentiaria die 16 iunii 1880 respondit : non esse inquietandos coniuges, qui tempora seu dies sterilitatis physiologicae attendant; eandemque praxim caute posse insinuari. Quae sint huius sterilitatis physiologicae tempora, non una est omnium auctorum sententia. Multum propagata fuit sententia Doctoris Capellmann, qui anno 1883 scripsit : Mulierem inde a die 15° post coeptam ultimam menstruationem usque ad diem 25^{m} inclusive sterilem esse; ideoque, si proles evitanda censeretur, continentiam servandam esse a die 1-14 et a die 26-28 periodi menstruae. Quae doctoris Capellmann sententia iam a pluribus decenniis plus minus est derelicta, cum saepius eventus huic doctrinae contrarii observati fuerint.

In decursu temporis alii alios assignarunt sterilitatis seu agenneseos dies; aliqui, e. gr. Dr. L. Fraenkel, simpliciter negarunt ullos esse huiusmodi sterilitatis physiologicae dies cycli menstrui. Quod ut probarent, provocarunt cum ad experientiam, qua teste fecundatio quovis huius cycli die accidere possit et acciderit, tum ad factum omnibus notum, spermia in utero et tubis mulieris per plures integros dies, immo hedbomadas, vivere et ovulum impraegnare posse. Tempore belli auctores alii agenneseos tempora iterum assignarunt, ita Dr. Siegl sterilitatis seu agenneseos dies dixit diem 1-4^{m} et 21-28^{m} post coeptam menstruationem ultimam.

Ultimis annis (1929-1930) proposita est sententia nova novisque eam tentarunt probare argumentis, quam imprimis Dr. Knaus (Graz) et Prof. Dr. Ogino (Niigata, Japonia) propugnant. Qui auctores modo et argumentis prorsus diversis ad sententiam omni fere ex parte eandem pervenerunt. Puncta principalia novae huius theoriae et via, qua ad ea statuenda perducti sunt dicti auctores, in sequentibus iuxta utriusque propriam methodum proponuntur.

I. Theoria doctoris Knaus.

Omnis *fecundatio* exigit, ut duae cellulae germinativae (altera spermium, altera ovulum) actu capaces fecundationis sive activae sive passivae, in organis internis muliebribus in invicem incidant et se uniant (1). Iis ergo diebus fecundatio fieri potest, quibus haec duo simul habentur :

1. *Simultanea exsistentia* utriusque cellulae germinativae in organis internis mulieris;

2. *Simultanea fecundabilitas*, sive activa sive passiva, earundem cellularum. Hi ergo dies sunt dies *fertilitatis;* dies vero, quibus

(1) Omnis *praegnatio* mulieris (i. e. innidatio ovuli in utero) insuper exigit, ut uterus, momento quo ovulum fecundatum eo pervenit, apte praeparatus et dispositus sit. Quod si non est, ovulum sese immittere in mucosam non potest, sed perit; ita e. gr. ovulum fecundatum in uterum adveniens tandem diebus coeptae iam menstruationis generatim eicitur. Ergo « fecundatio ovuli » non est idem atque « praegnatio mulieris ». Nulla quidem esse potest « praegnatio » sine praevia « impraegnatione » ovuli, at impraegnatio esse potest sine subsequente praegnatione mulierus.

alterutrum horum elementorum deest, sunt dies *sterilitatis physiologicae* seu *agenneseos*.— Quaerendum est ergo : 1) quandonam habeatur simultanea exsistentia et 2) quamdiu perduret fecundabilitas (suppositis cellulis per se fecundis).

1. *De simultanea exsistentia cellularum.*

Quod ad primam quaestionem attinet, de praesentia spermatum facile constare potest; nam duabus saltem horis, postquam copula habita est, spermia in tubas et in ovaria venerunt. Tempus autem et actus copulae pendet a libera voluntate hominum. Restat quaestio, quando ovulum idque solutum e folliculo (neque enim nisi solutum fecundari potest) praesens sit.

Cum « ovulatio » (i. e. eiectio ovuli ex folliculo Graafii) non subsit liberae hominis voluntati, sed suam normam et periodum independentem sequatur, cumque ob situm in cavo abdominis non subsit immediatae inspectioni, alia via accuratum ovulationis tempus explorandum erat. Quod ut inveniret, Dr. Knaus hac via processit. Notum erat musculos uteri iniecta materia chimica, quae « Pituitrinum » vocatur, magis contrahi et contractiones rhythmicas peragere intensiores quam secus habitualiter peragere solent. Animadvertit Dr. Knaus hanc musculorum in Pituitrinum iniectum reactionem cessare, ubi primum cellulae « corporis lutei » primae efformatae sunt, quo momento tonus musculorum uteri multum laxatur nec ullae observantur contractiones rhythmicae (qua plena quietatione natura praeparat uterum et maxime aptum reddit, in quem ovulum fecundatum, si advenit, radices mittat). Primae autem illae cellulae corporis lutei efformatae sunt 24 circiter horis post ovulationem; quod tempus, ut ratio habeatur variarum condicionum, quae in homine saepius occurrunt, a doctore Knaus duplicatur. Si ergo explorari et inveniri potest, quo die reactio uteri in Pituitrinum immutetur, ex hac immutatione observata erui potest, quo die ovulatio accidat, scilicet 48 horis ante hanc immutationem coeptam. Tonus et rhythmicae contractiones uteri accurate dignosci possunt; nam cavo uteri materia fluida (e. gr. Iodipin) impleto, tonus musculorum et contractiones rhythmicae, cum immissam materi-

am fluidam aut plus aut minus et iisdem rhythmicis intervallis premant, mediante Manometro mensurari et iuncto Kymographio delineari possunt tum ante tum post Pituitrinum iniectum. Hoc modo invenit immutationem reactionis Pituitrinicae haberi inde a die 16-18° post coeptam ultimam menstruationem. Unde fluit : ovulationem fieri inde a die 14-16° post coeptam ultimam menstruationem. Notat Dr. Knaus suas observationes institutas esse exclusive circa mulieres, quae periodum menstruam habent 28 dierum.

Ut ergo redeamus ad quaestionem supra positam : quandonam habeatur *simultanea exsistentia* spermii et ovuli, haec habetur, si intra dies modo assignatos naturalis copula peragitur. Ante vero diem 14^{m} non est, cum ante hoc tempus ovulum nondum sit solutum ex folliculo Graafii.

2. *De simultanea fecundabilitate.*

Ad impraegnationem ovuli obtinendam praeter simultaneam cellularum germinativarum exsistentiam requiritur utriusque cellulae *simultanea fecundabilitas.*

In cuniculis, in quibus alia iam via momentum ovulationis certo constabat, variatis et combinatis experimentis ingeniose excogitatis explorare potuerunt : *ovuli fecundabilitatem paucis (duabus circiter) horis post ovulationem cessare*, ita ut spermium, quod tandem post hoc tempus advenerit, impraegnationem fertilem peragere non iam valeat ob ovuli interim exortam sterilitatem.

Rationem huius rei assignant tum internam ovuli degenerationem, quae, nisi impraegnatio intercesserit, brevi post ovulationem et primas ovuli immutationes evolutivas accidit, tum impermeabilitatem externae membranae ovulum obtegentis, quae item paucis post horis locum capit.

Quod ad *spermia* attinet, aliis experimentis item in cuniculis factis probarunt : *spermia in organis internis mulieris* (aliter omnino atque in testiculis et epididymidibus) *nonnisi per* 20 *primas horas post coitum plenam fecundabilitatem activam habere, dein fecundabilitatem cito decrescere, usquedum post* 32 *horas totalis sterilitas adsit*, licet motilitas spermiorum adhuc sit integra et per ulteriores dies plures permanere possit.

Cum in cuniculis *ovulatio* nonnisi dependenter a copula praevie habita accidat et quidem ordinarie 10 horis post coitum, cumque *migratio seminis* ab orificio externo uteri usque ad tubas et ovaria 4 horas amplectatur : facile ex rationibus biologicis intellegitur, cur tanta sit cuniculorum fertilitas, licet, uti ex antea dictis patet, fecundabilitas ovuli et spermii ad tam breve tempus coarctetur. Nam in his animalibus simultanea exsistentia cellularum germinativarum naturaliter semper coincidit cum utriusque cellulae simultanea fecundabilitate.

Unde deducenda est haec lex : Ut obtineatur fecundatio ovuli et graviditas, copula quam maxime approximanda est ad momentum ovulationis. Quod si fit, spermium ad fecundationem efficiendam plene adhuc aptum incidere potest et intrare in ovulum item plene adhuc aptum ad fecundationem passivam. Unde apparet, quanti momenti fuerint experimenta et inquisitiones, de quibus supra sermo fuit, ad explorandum accuratum ovulationis tempus.

Experimenta biologica, modo exposita, facta sunt in solis cuniculis, ideoque lex inde deducta immediate de his solis animalibus asseri potest. Iam quaeritur, an eadem phaenomena habeantur etiam in aliis animalibus, ideoque dicta lex alia quoque animalia amplectatur, imo an haec lex sit simpliciter generalis quoad omnia animalia, quae calidum sanguinem habent (animalia homoiothermia) et testiculos scrotales. Dr. Knaus, ut hanc universalitatem probet, provocat ad animalia, quorum fertilitas inter omnes constat, et ostendere studet omnia haec animalia, si instinctum suum naturalem libere sequi possunt, copulam generatim peragere circa *tempus ovulationis* et intra hoc tempus quam frequentissime; quo magis autem eadem animalia interventu industriae humanae a copula hoc tempore peragenda impediantur, eo magis, etsi numerus coituum fuerit idem, eorum fertilitatem decrescere. Inde colligit Dr. Knaus, esse legem biologicam universalem fertilitatem animalium homoiothermiorum cum testiculis scrotalibus dependere essentialiter (praeter alia) a copula quoad tempus arcte approximanda ad momentum ovulationis. Huic autem approximationis legi aliam subesse

biologicam legem, item quoad eadem animalia universalem, censet hanc : *Cellulis germinativis non competit fecundabilitas nisi per breve tempus plurium horarum, quod quoad ovulum non excedit* 24, *quoad spermium* 48 *horas.*

Dr. Knaus has leges universales secundum analogiam etiam *homini* applicat et urget : Sicuti anatomice principalia organa sexualia (vagina, uterus, tubae, ovaria, testiculi, membrum virile), licet magnam differentiam in variis animalium speciebus exhibeant, tamen eandem quoad substantiam habent structuram et finem naturalem, ita eadem organa habent easdem quoque quoad substantiam functiones et iisdem quoad substantiam subsunt legibus. Confirmat hanc suam analogiae inductionem variis observationibus : e. gr. vix umquam in tubis et ovariis (occasione operationis chirurgicae vel explorationis organorum internorum) deteguntur spermia viva et integra, licet haec organa muliebria abundare debeient spermiis, si commercium carnale frequenter peragitur et si spermia per multos dies in iisdem organis manerent viva et fertilia. Praeterea in tubis, occasione operationum chirurgicarum, inveniebantur ovula multum iamiam degenerata, licet corpus luteum adhuc fuerit recentissimum ideoque ovulatio nonnisi 24 horis antecesserit. Dilucidare etiam studet, ob quasnam rationes fecundabilitas cellularum tam cito cesset. Praeter rationes supra iam expositas assignat intoxicationes, quibus hae cellulae in organis muliebribus evidenter subiciantur et quibus, nisi intercesserit impraegnatio, perdantur. Alia causa accedit : phagocytosis, qua cellulae vagantes, si bono individui non iam inserviunt, consumuntur. — *Teleologica* quoque *ratio* huius phaenomeni inquiri et assignari potest quaeque est bonum prolis et speciei, cui bono ut provideatur, cellulae, quae variis iam subiectae fuerunt influxibus et inde forte nocumentum aliquod subierunt, a nova vita efformanda arcentur, et nonnisi cellulae recentes, integrae atque optime dispositae ad prolem generandam adhibentur.

Doctoris Knaus asserta principalia sunt ergo haec :

1. Ovulatio, supposito cyclo 28 dierum, accidit a die 14-16°, computatis ab initio ultimae menstruationis.

2. Ovulum non retinet fecundabilitatem passivam ultra 24 horas.

3. Spermia, transmissa in organa interna mulieris, ibidem servant suam fecundabilitatem activam non ultra 48 horas.

Ex quibus tribus asseitis eruit :

1) Copula habita 48 horis ante momentum ovulationis ovuli impraegnationem et graviditatem mulieris efficere nequit. Nam momento ovulationis spermia fecundabilitatem activam non iam habent.

2) Copula tam sero habita, ut spermia iam nonnisi 24 horis post ovulationem ad ovulum pervenire possint, item fecundationem efficere nequit. Nam momento, quo spermia in ovulum incidunt, ovulum iam est factum sterile.

3) Copula nulla nisi inter hos duos temporis terminos habita fecundationem et graviditatem efficere potest.

Quibus omnibus positis et diligenter perponderatis facile intellegitur, cur ab auctore Knaus, habita ratione influxuum et variationum accidentalium, haec fertilitatis resp. sterilitatis regula generalis ponatur :

Supposito cyclo 28 *dierum, nulla copula fertilis esse potest nisi habita fuerit inter diem* 11-17^{m} *computatos ab initio menstruationis ultimae; extra vero hos dies, ergo inde a die* 1-10 *et a die* 18-28, *copula semper manet sterilis.*

NB. Iuvat notare Israelitis, quorum fertilitas inter gentes notoria fuit, secundum legem Mosaicam (3 Mos. 15, 19 sqq) et iuxta huius legis interpretationem quam alii Iudaeorum libri rituales exhibent (Talmud Babylonic., Tract. Niddah, Fol. 31 b) cohabitationem fuisse interdictam per ipsos menstruationis dies (saltem per 5 dies) et per septem dies subsequentes. Hinc ad commercium matrimoniale redire potuerunt inde a die 12°, ergo a die, quo secundum theoriam a Dr. Knaus propositam probabilitas fertilitatis secuturae incipit. Unde fertilitas populi etiam ex lege mere biologica facile explicari potest.

II. *Theoria doctoris Ogino.*

Dr. Ogino item imprimis explorare studet *momentum ovulationis*, cum illud quasi fundamentum sit omnium ulteriorum inquisitionum et deductionum. At notam quandam praemittendam censet de methodo, quae in tempore ovulationis computando servari debeat.

Tempus ovulationis hucusque auctores computabant ab initio menstruationis antecedentis; quam computationis methodum Ogino censet minus rectam, immo falsam, cum illud tempus computari debeat ab initio menstruationis subsequentis. Nam inter praecedentem menstruationem et subsequentem ovulationem nullus est internus nexus (causalis); est autem huiusmodi nexus inter praecedentem ovulationem et subsequentem menstruationem. *Ovulatio* est quodammodo initium et « terminus a quo » totius cycli menstrui mulieris. Ovulationem sequitur *efformatio corporis lutei*, quod suis dein secretionibus internis (simul cum aliis causis) efficit praeparationem et immutationem uteri *(dispositio praemenstrua)*, ut, si fecundatio intervenerit, implantatio ovuli apte fieri possit. Implantatione facta, ovulum suo influxu efficit « corporis lutei spurii seu menstruationis » *transformationem* in « corpus luteum verum seu graviditatis », quod impedit menstruationem et, quamdiu viget, ulteriorem ovulationem. — Implantatione autem non facta, post plures (circiter 14) dies incipit corporis lutei *degeneratio*, qua coepta eius in uterum influxus cessat, unde sequitur *menstruatio*, i. e. uteri immutationis praeparatoriae remotio et huius organi restitutio in integrum.

Ogino in functiones et organa animalium brutorum non inquirit, sed in solos homines. Diligenti examini subiecit ovaria (in 118 casibus laparotomiae faciendae) et in iis folliculos maturos ruptioni proximos, folliculos iam ruptos, corpora lutea eorumque varias evolutionis phases. Praeterea accurate inquisivit (in 89 casibus) in cyclicas mucosae uteri mutationes atque in diversas harum immutationum phases. Ex omnibus elementis et criteriis cum magna aliqua probabilitate diem ovulationis eruere potuit, praesertim cum aliunde iam longiore ex tempore plus minus

constiterit, per quodnam tempus variae istae phases tum corporum luteorum tum mucosae uteri protrahantur. Deduxit ergo Ogino ex operationibus a se in singulis casibus factis, quo die ovulatio in quolibet *casu concreto* fuerit aut futura sit. Ex altera parte ipsi accurate de cyclo menstruo uniuscuiusque mulieris certo constabat, unde etiam assignare potuit, quo periodi menstruae die ovulatio accideret. Nam inter 118 istos casus, quos examinavit, 81 fuerunt casus cycli omnino constantis et semper eiusdem in unoquoque individuo, licet hi cycli ab invicem maxime diversi fuerint, scilicet 23-45 dierum. Invenit ergo Dr. Ogino innixus omnibus his observationibus et computationibus legem generalem, quam sic effert :

« *In quolibet cyclo menstruo ovulatio accidit in 5 dierum intervallo, quod continetur diebus 12-16° computandis retrogrediendo ab initio insequentis menstruationis.* (Menstruatio vero, fecundatione non facta, incipit diebus 13-17 post ovulationem).

Confirmationis gratia Ogino addit computationem temporis, quam instituit circa 557 casus a variis aliis auctoribus allatos. Hi auctores suis observationibus et experimentis innixi alii alium quoad istos casus assignarunt ovulationis diem maxime diversum, computantes semper ovulationis tempus ab initio ultimae menstruationis, neglecta diversa periodi menstruae duratione. Ogino adhibendo suam computationis methodum, scilicet computando tempus ovulationis (retrogrediendo) ab initio menstruationis proxime futurae, ostendit : magnam illam auctorum discrepantiam in die ovulationis assignando evanescere, et ex illis 557 casibus omnes praeter 15, quod ad diem ovulationis attinet, concordare cum nova regula ab ipso statuta.

Die ovulationis explorato, Ogino quaerit, quamdiu *fecundabilitas* tam activa spermii quam passiva ovuli perduret. At hic propriis observationibus et experimentis nihil ad solutionem confert, sed aliorum auctorum sententias proponit et ut probabiles assumit.

De animalium homoiothermiorum, quae testiculos scrotales habent, *spermiis* censet eorum fecundabilitatem in organis mulieris ordinarie non perdurare nisi per 3 dies, in casibus autem extraordinariis per 4-8 dies.

De eorundem animalium *ovulis* dicit : latere nos, quamdiu exstent fecundabilia; affert tamen eorum sententiam, qui dicunt : ovula non permanere fecundabilia nisi per paucas horas.

Has duas leges applicat dein per analogiae inductionem ad hominem et (hypothesi facta, hominem quoque his legibus revera subesse) de diebus fertilitatis et sterilitatis hominis hanc statuit regulam :

Tempus fertilitatis ordinarie complectitur dies 5, quibus ovulatio accidere potest, additis 3 diebus antecedentibus; extraordinarie autem eosdem 5 ovulationis dies, additis diebus 4-8 praecedentibus; vel aliis verbis :

« *Copula non est fertilis, nisi habita fuerit inter diem* 19-12, *exceptionaliter inter diem* 24-12, *computando (retrogrediendo) ab initio menstruationis proxime insequentis* ».

Ut autem haec regula in casu concreto recte adhibeatur, ad sequentia attendendum esse monet Ogino :

1. Cyclus menstruationis, qui *hucusque vigebat*, in quolibet casu *accurate* exploretur.

2. Cyclus menstruus numquam secundum hebdomadas, sed semper secundum numerum dierum computetur.

3. Variationes, si cyclus non est omnino constans, secundum numerum dierum accurate explorentur, et harum variationum ratio habeatur in tempore fertilitatis vel sterilitatis statuendo.

4. Ut « terminus a quo » computationis faciendae semper assumatur initium menstruationis proxime insequentis, numquam vero initium menstruationis ultimae elapsae.

Si comparantur dies sterilitatis, statuti ab Ogino, cum iis, qui statuuntur a Knaus quoad cyclum 28 dierum, fere ex toto coincidunt. Knaus observationes ab Ogino factas agnoscit et propriam theoriam, additis quibusdem elementis, nuper complere studuit. Ita monet : in cyclis, etsi secus constantibus, aliquando observari inconstantiam quandam et variationem, ita ut « constans » cyclus 28 dierum una alterave vice amplietur ad 30 dies vel coarctetur ad 26 dies; cuius variationis in determinato tempore sterilitatis computando rationem omnino habendam esse. Maiorem deinde

dicit accidere posse variationem cycli ex causis *extraordinariis*, maxime post partum, inter quas causas specialem locum teneat lactatio; ideo post partum prima alteraque menstruatione facta accurate attendendum esse, quemnam nunc natura servet cyclum; utrum discrepet a cyclo ante praegnationem servato, an cum ipso concordet.

Praeterea Knaus urgere incipit suam corporis lutei legem, secundum quam hoc corpus, brevi post ovulationem efformatum per 14 circiter dies in vigore perstet, dein vero ovuli implantatione non facta, corruat et menstruationem inducat subsequentem, ita ut haec accidat 15 circiter diebus post ovulationem.

Ex hac corporis lutei lege apparet, cur dicatur : periodos menstruas, quae ab invicem differant, differre numero dierum, quae ovulationem antecedunt, non vero numero dierum, qui eam sequuntur et qui numero semper aequales sunt. Sic Dr. Knaus, magis attendendo ad hanc legem, proxime quoad methodum computationis faciendae accedit ad Ogino et implicite concedit hanc esse methodum unice rectam.

Crisis utriusque sententiae.

Quid nunc sentiendum sit de fertilitatis et sterilitatis lege a laudatis auctoribus statuta, pendere patet a quaestione, quam certa sint principia ab ipsis statuta tum de termino et die ovulationis tum de durationе fecundabilitatis activae spermii et passivae ovuli.

Quod primum elementum, i. e. diem ovulationis, spectat, scientificam quandam certitudinem haberi concedi potest.

Quod ad alterum elementum (durationem fecundabilitatis) attinet, item certitudo quaedam concedi potest quoad determinata animalia, e. gr. cuniculos, non tamen concedenda videtur quoad hominem. Nam illa analogiae inductio inniti non videtur argumentis tam gravibus, quae scientificam certitudinem fundare valeant. Hoc inde quoque apparet, quod dictae leges de durationе fecundabilitatis cellularum ab his auctoribus tamquam generales

homoiothermiorum leges statutae et ad hominem quoque applicatae, minime ab aliis auctoribus tamquam generales et multo minus ut ad hominem applicabiles admittantur. Neque tamen ex altera parte ab his auctoribus facta et argumenta hucusque afferuntur, quae evincant contrarium, licet contrarium hinc inde ab iisdem auctoribus simpliciter et absolute asseratur. — *Probabilitas* autem quaedam positiva et solida, attentis argumentis et considerationibus a Knaus et Ogino adductis, eorum theoriae nihilominus concedenda videtur. Nam eorum argumentis veram quandam probandi vim inesse negari non potest.

Quod *praxim* spectat, usui huius theoriae non paucae exsurgunt difficultates, quibus in casu concreto certitudo de sterilitate copulae non parum diminuitur. Nam ut supra iam notatum est, periodus menstrua variis subest influxibus etiam in individuis omnino normalibus, ita ut constantia absoluta vix umquam habeatur. Unde accidere potest, ut ob rationes, quae mulieri forte omnino non innotescunt, momentum ovulationis uno alterove die aut anticipetur aut retardetur, et ideo, cum tempus ovulationem insequens semper idem videtur assumendum sterilitatis tempus proportionate prius aut serius initium sumat. Ex quo apparet : sterilitatem copulae habendae eo minus probabilem reddi, quo momentum copulae propius accedat ad limitem inter tempus fertilitatis et tempus sterilitatis.

Praeterea in praxi mulieres saepe non accurate attendunt ad diem primum cuiusque menstruationis, ideoque numerum dierum quos periodus complectatur, non accuratum, sed approximativum tantum, immo vel etiam falsum assignant. Unde fiet, ut periodum suam affirment constantem, cum minime sit constans, et ut ideo tempus sterilitatis in concreto casu omnino falso computetur.

Neque oblivioni dandum est : aliquando a coniugibus asseri quidem copulam non fuisse habitam nisi diebus sterilitatis a medico assignatis et praegnationem esse secutam, licet hi coniuges aliis quoque diebus copulam habuerint eamque medico fateri vereantur. *Caute* omnino ergo procedendum est in casibus proferendis et examinandis, qui tamquam argumenta certa contra hanc de certis sterilitatis diebus theoriam afferuntur.

Quod ad *quaestionem moralem* attinet, aliud est quaerere : an observatio temporum sterilitatis sit *ratione sui* et *in genere* illicita; et aliud est quaerere : an *aliunde* e. gr. ex motivo inhonesto vel ex iure alterius laeso vel ex alia circumstantia evadere possit illicita (1).

Quod primum spectat, statim initio huius articuli allatum est Responsum S. Poenitentiariae d. d. 16 iunii 1880, secundum quod poenitentes, qui hanc praxim tenent, non sunt inquietandi, et praxis a confessariis caute etiam insinuari potest. Eadem doctrina clare effertur in Litteris encyclicis « Casti connubii » d. d. 31 dec. 1930 (*A.A.S.* 22, 1930, 561, alinea 60). Si autem observatio temporum iam *ratione sui* esset illicita, auctoritas ecclesiastica huiusmodi praxim et doctrinam nullo modo admittere posset.

Antequam vero ad rationes internas examinandas accedimus, quaestio aliqua methodica, quae simul rationem alicuius principii fundamentalis habet, breviter commemoranda est. Nam in hac quoque materia quaeri debet, a qua praesumptione procedendum sit, utrum a praesumptione liceitatis, an a praesumptione illiceitatis. Tamquam principium fundamentale statuendum videtur : Sine peccato fieri posse et esse licitum, quod non probetur esse sub peccato sive ex lege naturae sive ex lege positiva prohibitum; vel aliis verbis : esse licita quae non positive probentur illicita. Hinc etiam observatio temporum dicenda est licita, nisi positive probata fuerit illicita : et onus probandi non incumbit iis, qui asserunt liceitatem, sed iis qui et in quantum adstruunt illiceitatem.

Iam ad singulas rationes examinandas accedendum est, propter quas observatio temporum videri possit, et a quibusdam revera dicatur *illicita*.

Sunt, qui observationem temporum ponant in eadem linea

(1) Non huius loci est, in examinanda hac quaestione omnino particulari, omnia ea iterum exponere et urgere, quae in tractatu « de licitis et illicitis in matrimonio » a probatis auctoribus, sive quoad substantian sive quoad circumstantias actuum sexualium, exponuntur servanda, ut hi coniugum actus sint ab omni peccato liberi. Evidens est, haec omnia valere etiam tempore sterilitatis physiologicae. Huius loci solummodo est quaerere : quid praecise de ipsa hac « observatione temporum » eiusque liceitate sentiendum sit, suppositis omnibus aliis, quae secus de liceitate actuum sexualium, qui inter coniuges fiunt, valent.

atque *onanismum coniugalem*, et quidem ob hanc rationem, quod uterque agendi modus habeat eundem effectum in eumque tendat, scilicet in prolem evitandam. Ideoque asserunt, utrumque agendi modum esse aequali modo et ex eadem ratione inhonestum et illicitum. At perperam argumentantur. Nam in onanismo coniugali ipsa copula de industria hominum per ipsorum *positivum* agendi modum *corrumpitur*; in temporum autem observatione ipsa copula omni ex parte manet *integra*; eius enim sterilitas in hoc casu non oritur ex aliquo actu hominum, sed ex causis naturalibus physiologicis, quae in ipsa indole et structura apparatus genitalis reconduntur. Neque onanismus coniugalis propter *solum factum* effectus novae vitae non obtenti (vel obtentu impossibilis) est intrinsece illicitus, sed propter *modum quo* hic effectus redditus est impossibilis, scilicet propter substantiam ipsius actus coniugalis corruptam. Si enim merum illud factum sufficeret ad copulam reddendam illicitam, quaelibet copula naturalis ex quacumque causa, licet maxime naturali, sterilis esset intrinsecus inhonesta et illicita; quod a nemine asseritur neque rationabiliter asseri potest.

Ratione sui observatio temporum secundo videri potest, et iterum a quibusdam revera dicitur *illicita*, quia offendit contra *servitium speciei*, quod coniuges, saltem in ipso coniugii usu, praestare tenentur bono generis humani, in cuius utilitatem opus coniugale principaliter, et quidem ex rei natura, ordinatur.

Quod servitium *obligatorium* certo saltem ita intellegendum est, ut coniuges abstinere debeant ab omni actu, quo positive impediant cursum naturae, eo scilicet, quod hoc vel illo modo opus naturae de industria sua ex toto (vel etiam ex parte tantum, prout in « copula dimidiata » fieri solet) corrumpant.

Coniuges autem ex ipsa operis coniugalis natura et ex fine primario matrimonii *ulterius* obligari ad curam *positivam* adhibendam et ad finem operis *positive*, pro posse, saltem ita promovendum, ut quoad *tempora agenneseos* naturae defectum quodammodo suppleant, et ita efficiant, ut fructus copulae ob intervenientia obstacula naturalia periclitatus, tamen obtineatur : *gratis asseritur*. Valet, quod modo dictum est, scl. si huiusmodi

haberetur obligatio, *numquam* naturalis copula, quotiescumque origo novae vitae ex defectu causarum naturalium est impossibilis, licita esset. Quod enim ex natura rei sequitur et contra rei naturam offendit, semper valet, et semper prohibitum est.

Obligatio coniugum inserviendi bono speciei, quoad hoc quodammodo potius *reale* copulae servitium, interpretanda videtur ad normam legis *realis*, cui, in quantum est talis, satisfit, eo quod ipsa *res* praestatur sine *rei* vitio. Aliis causis (naturalibus), a quibus conservatio et propagatio generis humani etiam pendet, providere, de se non est hominum, sed auctoris naturae et supremi legislatoris; quem prohibuisse, quominus homines in matrimonio utendo sese accommodarent temporibus sterilitatis physiologicae : non solum asseri, sed et probari deberet. Et quod si urgent, magnum decrementum generis humani ex universali horum temporum observatione timendum esse, ideoque (saltem universalem) huiusmodi praxim esse prohibitam (dato, non concesso, tale decrementum revera esse timendum) : non attendunt se tamquam probatum supponere, quod est probandum, scilicet homines teneri ad huiusmodi *naturale* decrementum (nam ultimatim hoc decrementum in *naturali* apparatus generativi indole fundatur) praecavendum, neque auctorem naturae posse tale naturale decrementum positive velle (aut ipsum saltem positive probare non posse, *homines*, quodammodo aucupando arcana naturae eiusque legibus biologicis se accommodando, tale generis humani decrementum adducere).

Quae dicta sunt, valent tum de uno alterove casu particulari tum de habituali temporum observatione : neutra praxis (*ratione sui)* probatur *illicita*.

At esse potest, quendam agendi modum « ratione sui » non prohiberi, prohiberi tamen *aliunde*, id est ratione circumstantiarum, et imprimis ratione finis. Quaerendum est ergo, an forte ex hac ratione observatio temporum dici debeat illicita.

Obstare potest primo *ius alterius partis*. Cavendum est, ne ex sparsa theoria de licita temporum observatione creetur erronea opinio (immo forte « persuasio ») : posse unam partem secundum

suum beneplacitum, invita altera parte, usum matrimonii coarctare ad tempora agenneseos. Quod minime potest. Ius enim matrimoniale et huius iuris usus nequaquam ad hos dies restringitur. Nisi ergo aliunde habentur rationes graves, quae sufficiunt ad denegationem debiti licitam (aut pro rerum condicionibus obligatoriam) reddendam, debitum diebus quoque fertilitatis alteri parti, iuste serio rationabiliter petenti, reddi debet.

At *consonae* quoque utriusque partis de temporibus observandis voluntati obstare potest (saltem in casu exceptionali et extraordinario) *bonum familiae*, *immo* vel *ipsius civitatis*, quando scilicet secus familiae vel rei publicae grave damnum imminet, et *si* coniuges ad illud per prolis generationem praecavendum in casu concreto propter *speciales* circumstantias, sive ex pietate sive ex alio titulo obligatorio, tenentur.

Obstare potest secundo : *motivum inhonestum* et illicitum, propter quod observatio temporum assumitur.

Motivum inhonestum abesse debet iam relate ad ipsum et merum exercitium copulae. Plura autem esse motiva *honesta*, propter quae (praeter prolis generationem) copula peragi possit, inter omnes constat. Sufficit in memoriam revocare, qui sint matrimonii fines secundarii; quos laudatae Litterae encyclicae « Casti connubii » totidem dicunt esse motiva honesta iuris matrimonialis exercendi.

Sed quaerendum est num *insuper* requiratur motivum honestum, propter quod exercitium iuris peragatur praecise tempore agenneseos, immo his temporibus exclusive reservetur.

Ad quam quaestionem plura videntur respondenda.

Primo, *abesse* debet omne motivum *inhonestum*, e. gr.: vilipensio ipsius prolis in se sumptae; cotemptus aut vilipensio matrimonii et eiusdem ad prolem generandam destinationis naturalis; ignava fuga laboris et oneris naturaliter coniuncti cum prolis generatione et educatione; inordinatum desiderium commodioris et splendidioris vitae; exaggeratus appetitus delectationis carnalis, a quo omne naturale frenum arcere desiderant; et huiusmodi plura.

Secundo, *positivum desiderium* evitandi prolem per solam temporum observationem, si *mere in se sumitur*, *non* est ex obiecto

suo *inhonestum*, sed « ratione sui » dici debet *indifferens*, quod fit aut bonum aut malum pro ratione bona aut mala, propter quam concipitur et fovetur. Neque enim, ut supra iam notatum est, probari posse videtur : hominem sub peccato obligari ad illam curam positivam adhibendam, qua intermissam insufficientiam naturae suppleat, aut ut saltem suum (in se naturalem) modum agendi non praecise huic insufficientiae temporariae adaptet cum praevisa et deliberate quaesita frustratione effectus naturalis, id est generationis prolis. Applicari posse videtur ad hanc (negativam) coniugum intentionem principium illud, quod secus de lege *reali* statui solet, scilicet : *Finis legis non cadit sub lege.* Quod principium, applicatum ad casum, de quo agitur, hunc haberet sensum : Lex naturalis de copula, in usu iuris matrimonialis rite peragenda, lata est propter finem prolis procreandae; nihilominus hic finis eo sensu non cadit sub lege, quod coniuges nullo modo hunc finem intendere debeant, aut ullo modo, vi huius legis, ad plura obligentur quam ad ipsum copulae actum, si ponunt, rite ponendum.

Tertio respondendum videtur : Plura esse motiva honesta, propter quae (vel ad tempus vel pro semper) coniuges exercitium sui iuris ad tempora agenneseos coarctent, etiam cum explicita intentione per hanc temporum observationem evitandi prolem. Quae motiva, saltem principaliora, insinuantur per sic dictam indicationem vel medicam vel eugenicam vel socialem, de quibus in Litteris encyclicis « Casti connubii » non semel tantum est sermo.

Non absque re esse videtur, in fine huius articuli, iterum monere, ne confessarius, fretus probabilitate, quam hodie nonnulli theoriis professorum Knaus et Ogino tribuunt, ullo modo iis suadeat coniugibus, ut secundum eam procedant, qui praegnationem et graviditatem ob gravissima incommoda, secus certo secutura, omnino evitare debeant. Quo in casu non « observatio temporum agenneseos, » sed tanquam unicum medium licitum et efficax ad illa pericula arcenda, suaderi et proponi debet *continentia*.

Valkenburg F. HURTH, S. I.